



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

11. Gomezium, alioqui egregium, eiicit è Societate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

fidei, pessum abiisset, nulla spe resurgendi; huius excedij spectator si adesset P. M. Franciscus cui tantopere id opus cordi erat, videretque ab vno è suis, euersum penitus, à quo maxime augeri debuisset, acerbè profecto id esse laturum, eique instaurando manum celebrem admoturum, quod sane ab iis haudquaquam temerè coniciebatur.

Goam enim vt venit, illico iuuenes Lusitanos, expulsis substitutos Indis, ad suos remisit; conquisitos ex vicinis Indos in seminarium iusto numero reduxit & Societatem exoneravit turba illa quam præcepit Gomezius in eam intruserat, quod nihil præferrent in futurum vocatio- ne tanta dignum.

Restabat edendum in Gomezio exemplum, Goa igitur amouendus, iustus est Dium Lusitanorum præsidium se conferre, altius ad Septemtrionem situm. Verum is in iusta contumax ita se ministris regis, ipsoque prorege, ne auellerentur Goa, obuallarat, vt vnum par fuerit Xauerij robur, tot perfringendis obstaculis, & abstiterit tam procul à flectendo sub iis animo, vt quibus officiis ambierat pro se Gomezius, in ipsum eadem retorqueret velut intercessionis refractariæ nouum crimen, noua plecteret pœna; & carnis brachio confisum, Goæque affixum, potentiori Dei brachio, è Societate extirparet, futurum in sæculo proteruis, documentum terroris; Rectoribus iniuncta ad asserenda obedientiæ iura constantiæ. Cavit tamen ne Goæ Societatem exueret, sed Dium longe ablegauit ab Lusitanorum nauibus in Europam reportandum, quod in Sinas iturus P. Berzeo serio iniunxit. Nec finis calamitatum Gomezij: nauigans in Lusitaniam, vel gesta defensusus, vel ad pedes Ignatij rogaturus illorum veniam, in medio cursu fracta nauis miser in aquis interit, vetante Deo ne ab Xauerij sententia prouocaretur ad alium iudicem. Sic vitam clausit Gomezius; vir si dotes naturæ pendamus aliorum bono idoneas, in paucis excellens; & habilitate ingenij, animosaque vi erectæ pietatis, quorum in Indiis, & Lusitania, non dubia dederat argumenta; præstiturus omnino pro Deo grandia, si dociliorem rectorum ductui, & conatibus, ceruicem iungere voluisset, agique optasset potius modesta sui defectione, quàm absurdo agendi studio præesse.

Societatis rebus Xauerius in eum modum instauratis, operarios in diuersa misit, quod qui hæcenus illa excolebāt, egregij licet ac strenui, necessariis tamen laboribus parum sufficerent, iis ergo auxilia addidit, Bazaini quidem Melchiorem Nunnium; Gonsaluum Rodericum Tanæ; Cocini Franciscum Henrichez; Ioannem Lopesium Meliapore; in ora Piscaria Ioannem Mendezium, quorum vltimi duo nondum erant initiati Sacerdotes. Venere inter hæc à communitate Chaulensi, milliariibus triginta à Bazaino mediteraneâ, qui Sociorum Collegium postularent, sed piæ ipsorum liberalitati, mos geri non potuit, quod æquum non esset affigi multos vni pago, quorum singuli multis erudiendis pagis incumbebant. Postea Henrici Henrichez quem sponte nostri, Criminali

IO

Seminarium
Indorum Goæ
restituit.

II

Gomezium,
alioqui egregium,
eiecit è
Societate.

I Z

Operarios
missionibus
assignat.